



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Summula clarissimi iurisco[n]sultissimiq[ue] viri
Raymundi**

Raimundus <de Pennaforti>

Colonie, 4.III. 1502

VD16 R 168

Aliqui obligantur ad votum. aliqui no[n]

urn:nbn:de:hbz:466:1-31223

aut simpliciter nihil dicitur. illo tamen non obstante valde necessarium est ut votum simplex teneatur et impleatur. quod scriptum est. vouete et reddite domino deo vestro. **S**ed obiceret ergo aliquis. ideo auctor prius est insufficientis ex eo quod non determinat de voto simplici. Respondet quod auctor non est insufficientis. quod superius dictum est quod ipsa ecclesia cogit ad votum solenne perficiendum et non ad votum simplex. **U**n de quibus frangit votum solenne huic denegatur omne sacramentum christianitatis. ideo ipsa ecclesia cogit talem ad istud votum perficiendum

Secundo est notandum. ex quo supra prius facte mentionem de voto tunc videndum est de ipso voto. unde votum sic definitur. Est alicuius boni cum deliberatione facta promissio. **E**t dicitur notanter (alicuius boni) quod si aliquis promitteret malum non est tenendum nec esset verum votum. et si ipse infringeret votum non peccaret

Tertio est notandum. quod votum solenne fit tribus modis. Primo per ordinem scilicet ceterorum sumptuorum. ut subdiaconatus. diaconatus. et ceteris. quod diaconus et subdiaconus faciunt votum deo et episcopo. et quicquid transgreduntur illud a simpliciter sacerdote absolute non debent. Secundo votum solenne fit per ingressum religionis. et hoc in professione. Tertio fit per habitum susceptuorum. ut si aliquis recipit habitum religiosorum. id est monachorum. professionem. et si est plus speciali habitu professionis. et specialiter sub hoc fecit votum. si tunc transgreditur est fractor voti solennis

Quarto notandum. quod hoc votum fit tribus modis. primo cum deliberatione. secundo cum firmo proposito. tertio cum obligatione. de quibus modis etiam superius patuit

Quinto est notandum. quod aliqui homines sunt obligati ad votum. et alii non. quod pueri qui nondum venerunt ad annos pubertatis non sunt obligati ad votum ut patuit superius in multis casibus. **Q**uia monachi non obligantur ad votum illud quod est contra regulam ordinis. id est facerent votum quod vellet dimittere ordinem et vellet ire et alleviare onus. **S**icut furiosi non obligantur ad votum. ratio est. quod non sunt capaces suarum rationum. **S**icut famulus non obligatur ad votum illud quod est contra voluntatem domini sui. ut etiam prius dictum est.

Sexto est notandum. quod ad permutationem voti requiruntur duo. Primo auctoritas. quod nullus potest cum seipso dispensare. sed requirendus est ille qui habet auctoritatem. ut episcopus vel papa. quod secundum Hostiensium dispensatio seu voti permutatio est vigor ipsius iuris per eum ad quem spectat misericors relaxatio. et hoc dicitur supra. **I**n manibus stat maioris etc. Secundo requiritur causa sufficientis quare quis non tenet servare votum. nam nisi causa sufficientis superabundaverit votum nequaquam alleviatur

Septimo notandum secundum Raymundum. votum onerosum in levius est permutandum. ut ieiunium in elemosynas. **I**tem si quis vouit peregrinationes et pro infirmitatibus non potest implere. tunc expese quas esset persumpturus et laborum sicut dicitur de hoc in alios pios actus converti

Ultimo est notandum. utrum votum augmentat meritum. **U**t videtur quod non nam omnis serviens deo voluntarie placet magis illi quam serviens ei de iure. sed omnis serviens ei ex voto servit ei de iure et de voto. sed serviens sine voto servit libere. ergo videtur quod votum non augmentat gratiam. **I**n oppositum autem est magister sententiarum et doctores theologie. qui volunt quod votum augmentat meritum.

Et declaratur hoc sic. quod si non tunc claustrales seu religiosi inutiliter facerent professionem. quod tamen abhorret tota christianitas. **R**espondetur quod actus qui fit post votum potest fieri dupliciter. Uno modo in equali charitate sicut ante. Alio modo in minori charitate quam antea. si primo modo tunc servitium in tali est maioris premij et meriti.